



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 144. De bonis traditis in loco Cogharden in pago Wikanavelde.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
826 vsque
853 im-
perante
Hudo-
uico et

§. 143.

Tradidit *folclog* (Z) mansum dominicatum cum omnibus ad eum pertinentibus in pago *marstem* (a) in uilla nuncupante *fohanreder* testes aibert radmer adaluuart albmer et alii sex.

§. 144.

Tradidit ecgio quidquid habuit in *cogbarden* (b) testes marcodo comef eisulf adalold aldmer byda et alii V.

§. 145.

Tradidit ade quidquid habuit in *bochem* (c) testes reinheri thiadheri gherheri.

§. 146.

Tradidit *alfric* in *odburgun* (d) mansum unum cum familia eundem mansum excolente testes hunnuard ricbert emmino,

§. 147.

De Folc-
loga.

(Z) *Folcloga* sine vilo dubio abbatis nostri Warini fratria erat. Infra enim §. 231. eius vir appellatur *Beuo*, qui citra controuersiam est saepe nominatus *Beuo* comes, pater *Beuonis*, atque auus *Bouonis*, abbatis Corbeiensis, gubernantis abbatiam nostram tempore Ottonis caesaris, ut infra videbimus. Hanc autem *Folclog* ex stirpe Widekindi Magni, cuius probabiliter neptis fuit, oriundam fuisse, ex illis, quae hoc loco donat, colligere licet bonis, in pago *Mersem* sitis. In eodem pago, et in eadem villa nepos eius ex fratre, *Wibertus*, (§. 337.) monasterio nostro quaedam donauit. In eodem pago eius pronepotes atque abnepotes praedia sua habuere, immo malla seu iudicia sua exercuerunt, ut iam supra §. 104. not (u) demonstraui. Unde probabilissimum est, hanc *Folclog* ad stemma Widekindum spectasse. Et quis credere potest, *Beuonem* comitem, ducis Ecberti filium, aliam feminam, quam ex stirpe quadam illustri oriundam, in matrimonium duxisse? Talis sine dubio vilo stirps *Widekindi M.* fuit.

De pago
Marstem.

(a) Pagus *Marstem* ex mente *Casp. Abellii* in *Antiquit. Saxon.* p. 318. a fluuio Innerste nomen accepit, atque in episcopatu Hildesensi inueniendus est. Sed, falli Abellium, eruditi iam pridem agnouere. Illustris *Gruberus* P. I. der *Zeit und Gesch. Besch. der Stadt Göttingen* pag. 25. hunc pagum in praefectura Calenberg et Blumenau fixit; *D. Grupenius* autem in praefectura Calenberg et Coldingen in Principatu Hannoverano, in *Discept. Forens.* p. 544. collocauit. Adprobant id ipsum villae, quae huic pago in documentis litterariis tribuuntur. Haec vero sunt 1) *Lindart*, *Linderte*: 2) *Lembere*, *Limmer* ante portas urbis Hanouerae: 3) *Patibus* et *Pattenbusen*, oppidum *Pattenfen*: 4) *Runebergen*, *Ronnenberg* vno milliari ab vrbe Hanouera distans: 5) *Tratbe*, villa desolata in praefectura Coldingen prope Coldingam, quam cum Ill. *Grupenio* distinguendam esse censent a villa *Drothe* in pago *Astfalo* in praefectura *Tammonis*: 6) *Havingebusen*, *Herrenhausen*: 7) *Bauenstide*, fortassis *Bavenstedt* in praefectura *Steuerswald* in episcopatu Hildesensi: 8) *Walersode*: 9) *Euerdissem*: 10) *Nitelrede*: 11) *Kobbingbusen*: 12) *Herdere*: 13) *Liuktungun*: 14) *Munulo* seu *Mandelslo*: 15) *Fohanreder*, aliaeque, de quibus infra pluribus.

(b) *Cogbarden* erat in pago *Wikanauelde*, hodie dicitur *Kater* in praefectura *Grene* prope vicum *Dellissen* ad siluam *Hils*. Patroni parochiae sunt *Generosissimi* *Krammii*, in *Sampleben* praedium equestre habentes.

De villa
Bochem.

(c) *Bochem* villa erat sita in pago *Nithega* seu *Nitherfi*, nunc *Buken* in episcopatu *Paderbornensi*, haud procul a *Driborg* et *Swaney*.

De villa
Odbur-
gun.

(d) Supra (§. 142.) *Alfricus* quaedam tradiderat in villa *Falhafus* in pago *Nithega*. Iam quaedam addit ex eodem pago in villa *Odburgun*, quae villa *Otbergen* est in diocesi Corbeiensi, vno milliari a nostra Corbeia distans occidentem versus. Nee multo longius abest a villa desolata *Falhafus*. Quomodo vero bona haec in manus domini, e stirpe *Widekindae* orti, peruenerint, diximus ad §. 142. paullo ante.